



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio II. Sententiæ P. Vasquez.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIO X.

Vtrum pura creatura satisfacere possit pro peccato mortali ad æqualitatem?

SECTIO I. *Pars negans conclusa.*

SECTIO II. *Sententia P. Vasquez.*

SUBSECTIO I. *Due difficultates in eam sententiam.*

SUBSECTIO II. *Impugnatur ea sententia.*

SUBSECTIO III. *Ad argumenta.*

SECTIO III. *Sententia P. Suarez & aliorum.*

SECTIO IV. *Firma ratio pro sententia communi.*

SUBSECTIO I. *Proponitur.*

SUBSECTIO II. *Obiectiones.*

§. 1. **P**ura creatura accipitur pro substantia intellectuâ facta à Deo, sine vnione hypostatica ad ipsûm Deum: Christus non dicitur pura creatura, non quòd careat sanctitate, siue puritate morum, siue quòd sit impurus; sed quia ita est creatura vt sit etiam Deus: imò absolute est dicendus Deus, creatura verò cum addito, in quantum homo. Angelus autem & homo sunt puræ creaturæ: quia nullum de illis dicitur prædicatum, nisi creatum: non enim sunt Deus. Pura item creatura potest dici, vt opponitur impuræ siue vitiosæ: morum enim sinceritas vocatur puritas. Ob quòd demones non sunt puræ creaturæ in hoc sensu. In sensu priori tractatur hæc quæstio: vtrum creatura quæ non est Deus, possit ad æqualitatem satisfacere pro peccato? Accipitur autem pura creatura concretè, non abstractè: humanitas enim Christi pura creatura est, & satisfecit ad æqualitatem, non quidem abstractè, sed concretè: id est, vtrum angelus, aut homo, qui non sint Deus per vnionem hypostaticam, possint satisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali?

§. 2. De peccato veniali non est hæc quæstio: mortale potest considerari commissum cum ignorantia inculpa Dei, vel eius offensionis: cuius memini disp. 9. §. 11. Si hoc peccatum est possibile, non cadit in hanc controuersiam: potest enim pura creatura pro illo satisfacere ad æqualitatem per actus charitatis supernaturales actos in gratia: nullam enim habent infinitudinem. Est igitur quæstio de peccato mortali commissum cum cogitione offensionis & iniuriæ Dei, vel ignorantia culpa.

SECTIO I.

Pars negans conclusa.

§. 3. **C**enseo nullam puram creaturam posse ad æqualitatem satisfacere pro iniuria & offensa reperta in peccato mortali commissum cum cognitione aut ignorantia culpa offensionis diuinæ. Ita sentiunt Scholastici adducti disp. 9. §. 16. opinantes peccatum mortale habere rationem iniuriæ simpliciter infinitæ: item S. Thom. q. 1. art. 2. & omnes eius discipuli: P. Suarez disp. 4. sect. 7. P. Vasquez disp. 2. cap. 5. & 6. & ferè omnes recentiores: quamuis enim aliqui negent peccato grauitatem simpliciter infinitam; tamen illam constituent in ordine superiori, cui non reddunt æquale vlla opera puræ creaturæ. Quamuis autem hæc conclusio sit tam communis, tamen eius probatio non est omnibus communis. Quapropter singulorum sententias oportet excutere.

SECTIO II.

Sententia P. Vasquez.

4. **P.** Vasquez disp. 2. c. 5. & 6. duo sentit. Primum, per actum charitatis posse satisfieri pro offensa & macula peccati, secutus Scotum in 3. dist. 20. vers. *Contra ea*: & in 4. dist. 15. vers. *Quantum ad ipsum*. Durand. Caietan. & alios. Secundo asserit, eam satisfactionem non posse esse perfectam. Probat, quia perfecta satisfactio extinguit *Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.*

omne debitum sine dependentia à libera aliqua illius condonatione: sed actus charitatis non extinguit omne debitum, sed supponit liberam aliquam eius condonationem: ergo non est perfecta satisfactio. Probat Minorem: quia actus charitatis non extinguit debitum carenti auxilio efficaci quo exercetur ipse actus charitatis: ergo non extinguit omne debitum, sed supponit condonationem aliquam, ob quòd debitum carenti tali auxilio remittitur omnino gratis, & non per actum ipsum: quia priusquam actus existeret, erat sublatam carentia auxilij.

§. 5. Per actum autem charitatis fieri satis pro offensa, macula & peccato, probat, quia ille actus est ex natura sua forma sanctificans: ergo est satisfactio pro offensa, macula & peccato. Probat consequentiam, quia illa est satisfactio adæquata pro offensa, quæ ex natura sua omnino tollit offensam, & Deum reconciliat. Confirmatur, quia tunc fit satis, quando redditur tantum bonum, quantum mali fuerat illatum: sed actus charitatis est tam bonus quam malus actus peccati: ergo actus charitatis est adæquata satisfactio pro malitia.

SUBSECTIO I.

Due difficultates in eam sententiam.

§. 6. **Q**uod ait P. Vasquez, non posse puram creaturam satisfacere pro toto debito, mihi maximè placet. Eius tamen sententia duas patitur difficultates. Primum, quia ait Christum adæquate satisfecisse pro toto debito ex peccato con-

F 3 tracto,

S. Thom.
q. 1. art. 2.

tracto. Quod esse fallum, probatur: quia nos etiam eramus digni ne Christus nobis daretur redemptor, & ne ille pro nobis offerret sua opera: sed Christus nobis datus est merè gratis, item & actus ille quo voluit pro nobis satisfacere: ergo Christus non extinxit omne debitum contractum ex peccato. Probo antecedens, quia Christus non est meritis suam Incarnationem, sed eam gratis accepit. item, primum actum meritorium non accepit per aliud meritum: igitur aliqua donatio intercessit ad auferendam aliquam partem meriti: ergo sicut propter illam rationem contritio non extinguit omne debitum, ita neque Christus. Qui tamen dicitur satisfacisse ad æqualitatem, quia fecit satis pro omnibus debitis manentibus post eius Incarnationem & primum actum meritorium: ergo si actus charitatis extinguit omne debitum manens post eius existentiam, est perfecta satisfactio: quia hic tantum disputamus, vtrum bonum opus valeat tantum ad placandum Deum, quantum iniuria ad laceffendum.

§. 7. Secunda difficultas est, quia contritio non est actualis satisfactio pro debito, vel est adæquata pro omni debito. Probatur prima pars: quia P. Vasquez ea disp. 2. cap. 6. quod prius docuerat in 1. 2. censet peccatum mortale prius ratione esse remissum, & peccatorem sanctificatum per habitum charitatis aut gratiæ, quam contritio sit in anima peccatoris: ergo contritio non satisfacit actu pro macula peccati. Probo consequentiam, quia actualis satisfactio est quæ actualiter debitum soluit & extinguit: sed contritio actualiter neque soluit, neque extinguit debitum maculæ: ergo non est satisfactio actualis. Probo Minorem: quia per te ante contritionem debitum est & solutum & extinctum, & peccator sanctificatus, & pro illo priori cognitus à Deo sine reatu pœnæ æternæ, & cum condignitate ad æternam vitam. Quod ait P. Vasquez num 60. contritionem ex se sufficientem esse ad extinguendum debitum, quia illud extingueret nisi illud inueniret extinctum; probat quidem contritionem habere vim ad illud extinguendum; at per illam actualiter illud extingui, minimè probat. Quia actualis extinctio debiti id est, per quod debitum definit esse: sed macula peccati non definit esse per contritionem, sed per gratiam habitualem: igitur gratia habitualis, & non contritio, est extinctio actualis debiti.

§. 8. Confirmatur, si homine iam occiso quis infligat lethale vulnus sufficiens ad necem, non dicitur illud occidere, quia per alias causas prius fuerat occisus: ergo licet contritio habeat vim expulsiuam peccati; tamen non est eius actualis depulsiuam, quia per aliam causam depulsum fuit. Quod possumus confirmare exemplo actus liberi, qui non meretur actu nisi actus sit liber, licet possit ex natura sua esse liber: quia potentia ad libertatem si actu careat exercitio libero, non confert ad meritum actuale.

§. 9. Imò contritio ex natura sua non est extinctio debiti relictæ in macula peccati: quia ex natura sua petit à charitate produci ratione posteriori quam peccatum sit extinctum: ita ex natura sua numquam potest illud extinguere. Nam in ratione satisfactionis debet connotare, peccatum non esse prius extinctum per aliam formam, neque debere per illam extingui: quia sicut satisfactio in

ratione satisfactionis connotat extitisse debitum, ita connotat existentiam eiusdem debiti manentem post omnes formas quæ ex natura rei præcedunt satisfactionem ipsam. sed contritio id non connotat in hac sententia: quia ex natura sua supponit gratiam habitualem: ergo. In hac tamen sententia contritio potest dici satisfactio pro macula peccati de potentia absoluta: quia potest produci per auxilium extrinsecum, quin præcedat gratia sanctificans: quia contritio apud hunc auctorem tam bona est, quam malum peccatum.

§. 10. Probo nunc, contritionem in ea sententia esse æqualem satisfactionem pro toto debito. De macula & offensa peccati id fatetur P. Vasquez. idem probo ego de debito carendi auxilio efficaci: quia contritio in genere causæ dispositiue præcedit auxilium quo fit: ergo ex natura sua extinguit debitum illo carendi. Antecedens dari videtur à P. Vasquez. Consequentiam probo: quia contritio est dispositio in genere causæ materialis, cui iam debetur ex natura sua auxilium efficax; ita ut facta illa suppositione non possit de potentia absoluta negari: ergo extinguit debitum illo carendi. Probo consequentiam: quia debitum extinguitur per id quod talis est naturæ, ut cum illo componi non possit debitum ipsum: sed debitum carendi auxilio non potest componi cum contritione: ergo. Probo Minorem: quia debitum est ipsa carentia auxilij efficaci, titulus autem ad illud est existentia peccati cum carentia contritionis: sed carentia auxilij non potest componi cum contritione sic præcedente: ergo contritio expellit debitum. Minor patet, quia contritio in illo priori videtur existere in subiecto: ergo hac suppositione facta non potest non esse auxilium efficax: quia non potest contritio de potentia absoluta existere in illo priori causæ dispositiue, quin in toto instanti producat à Deo per auxilium efficax.

§. 11. Confirmatur, gratia habitualis extinguit actu debitum maculæ peccati: quia prius natura quam contritio intelligitur animam sanctificare, quia per suam entitatem est forma impossibilis cum peccato: sed contritio est forma impossibilis cum carentia auxilij efficaci, & prius natura in genere causæ materialis intelligitur esse: ergo contritio extinguit debitum carendi auxilio efficaci. Quod si obijcias, contritionem in eo genere non esse meritoriam pro illo instanti; Respondeo id non exigi à P. Vasqu. quia habitus sanctificans non est formaliter meritorius, neque formaliter liber; & tamen satisfacit pro macula peccati: ergo contritio etiam satisfaciet pro debito carendi auxilio efficaci. quia satisfactionem accipit pro forma impossibili ex natura sua cum peccato. Has igitur duas difficultates patitur hæc sententia. Verum hæc secunda leuis est: est enim ex P. Vasqu. mutua causalitas inter actum & habitum charitatis; non tamen inter actum & vocationem congruam, ut cum P. Vasquez ostendi disp. 4. de auxilijs.

SVBSECTIO II.

Impugnatur ea sententia.

§. 12. **M**agis displicet altera sententiæ pars, nempe contritione fieri satis pro iniuria

inuria & macula peccati: quamvis enim ea sententia probabilis sit ab auctoritate Doctorum, probabilior est opposita. Sancti enim requirentes Incarnationem ad satisfactionem perfectam pro peccato, in hoc sensu loquuntur, ut sit perfecta pro iniuria & macula peccati, non verò pro cæteris debitis antecedentibus satisfactionem. huc enim tendit comparatio personæ offensæ cum satisfaciēte: quam P. Vasquez non admittit, sed qua videntur Anselmus, Thomas, alijque Patres.

§. 13. Ac primùm ea sententia vitur fundamentum minus communi, contritionem ex natura sua esse formam iustificantem formaliter. Quæ sententia difficultates habet nonnullas, neque leues: eà tamen admittam disputandi gratia, probo contritionem non esse adæquatam satisfactionem pro peccato: quia adæquata satisfactio exinguit omnem debitum peccato contractum: sed contritio illud non exinguit: ergo non est adæquata satisfactio. Probo Minorem, quia peccato contraximus debitum carenti iustitia originali: item carenti quiete appetitus, qui pravis motibus passim rebelat: item carenti passibilitate proxima. quæ debita non extinguuntur contritione.

§. 14. Secundæ probationi præmitto, contritionem in ea sententia opponi physicè peccato, & cum eo esse ex natura sua impossibilem: quem admodum visio beata, & amor beatificus opponuntur ipsi peccato: quæ necessariò dicuntur à P. Vasquez quia constituunt omnem actum liberum Dei cum mutatione physica in obiecto; & ad actum distinctum Dei distinctam mutationem in obiecto. si igitur contritio expellit peccatum, non potest illud non expellere, quia ad eius expulsionem egeretur nouo actu libero Dei: qui esse non potest, quia non esset noua mutatio in obiecto. Tum etiam, quia P. Vasquez constituit libertatem esse extrinsecam actibus liberis: ergo si contritio opponitur peccato ex natura sua, illi opponitur secundum se, siue libera sit, siue necessaria, & non opponitur ratione libertatis, quæ actui charitatis est extrinseca, & per accidens. Hinc patet, actum charitatis esse peccati depulsionem, non quia est actus bonus in genere moris; sed physicè, & forma impossibilis: ut calor opponitur frigori.

§. 15. Secundò præmitto, satisfactionem non esse idem cum quacumque depulsionem peccati, sed eam debere esse liberam. Quod videtur ex terminis notum: Primò, quia intellectus non satisfacit Deo, visione ipsius Dei. Pone, peccatorem beati subito, & ipsa visione depelli habituale peccatum: hic non satisfacit pro peccato, nullam enim virtutem exercet. Quo differt restitutio à satisfactio: si enim alicui reddantur sui nummi, iam non habet ius aduersus latronem, licet ille inuitus reddiderit nummos: at verò satisfactio est voluntaria & libera compensatio iniuriæ. Secundò, quia iniuria consistit formaliter in actu libero: ergo satisfactio debet esse in eodem genere. Tertio, præmitto, satisfactionem ad æqualitatem debere esse æqualem in æstimatione morali propter illius moralitatem.

§. 16. Hinc argumentor Secundò: Actus charitatis non depellit peccatum ex morali æstimatione, sed ex physica oppositione cum illo: ergo non est satisfactio æqualis pro iniuria, tamen si esset for-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

ma sanctificans. Consequentia patet ex dictis s. Thom. §. 15. de antecedente constat §. 14. quia actus ille q. 1. art. 2. semper sanctificaret, non tamen semper esset liber. Secundò, probatur antecedens, quia minus æstimatur quælibet actio nostra quàm peccatum: ergo nulla actio nostra est adæquata satisfactio. Probo antecedens, quia non est mirum hominem subijci Deo: est autem admiratione dignissimum hominem iniuriam irrogare Deo: *Obstupefcite cali super hoc, & porte eius desolamini.* Quidquid igitur sit de oppositione physica nostrorum actuum cum peccato, illorum æstimatio morali est multò minor quàm peccari.

§. 17. Dices: Si quis in se produceret gratiam habitualement, satisfaceret pro peccato, quia liberè offert tantum bonum quantum peccatum erat malum: ergo idem continget in contritione. Respondeo Primò, antecedens esse falsum, quia gratia habitualis non æstimatur à Deo tantum quantum peccatum mortale. quod à posteriori probo, quòd illa existens physicè pro vno solùm instanti, non est titulus ad aliquid infinitum, secùs peccatum mortale: opponitur igitur gratia peccato physicè. propterea peccatum expellit. Duo contraria, licet perfectione inæqualia, sese expellunt, ad quod æqualia sunt, ut frigus & calor, fides & error: ita effectus formalis gratiæ est reddere amicum: ad quem pertinet carere inimicitia. Hanc ob causam, non verò ob æstimationem, gratia peccatum expellit per solam physicam vnionem. peccatum autem gratiam expellere mereretur, etiam si non vniretur physicè subiecto gratiam habenti: quia etiam pro tempore futuro, quo peccatum non existit physicè, illud reddit indignum gratia: quæ non habeat nec gratia, nec contritio: ergo diuersa ratione sese expellunt. Secundò respondeo, antecedens esse falsum: quia non est satis offerre aliquid æquale peccato, imò neque superius; sed opus est ut sit æquale propter moralem æstimationem. ob quod nos non satisfacimus pro nostris peccatis, quamvis Deo offeramus Christum, cuius mater eum obtulit in templo, & sacerdos in altari: quia quamuis res oblata pluri æstimetur quàm peccatum, tamen quia illam æstimationem non habet ex moralitate offerentis, ideo non satisfacit. E contra verò satisfactio Christi fuit ad æqualitatem, etiam quando obtulit munus aliquod leue, ut lacrymam aut ieiunium, quia illæ oblationes ex conceptu morali offerentis erant dignæ æstimatione infinita.

SVBSECTIO III.

Ad argumenta.

§. 18. Argumentum ex §. 4. confirmat quidem sententiam quam sequor. Ad argumentum ex §. 5. Respondeo, præterito antecedente, & negatâ consequentiâ. Ad probationem, distinguo antecedens: æqualis satisfactio est, quæ tollit offensam & maculam peccati propter moralem æstimationem, concedo antecedens: nego autem, quando peccatum expellitur, non propter moralem æstimationem satisfactiois, sed propter physicam repugnantiam, ut dixi à §. 14. Ad confirmationem ex eodem §. 5. distinguo Maiorem: tum fit satisfactio quando datur tantum bonum, quantum malum fuerat illatum. si illam æqualitatem habeat

s. Thom.
q. 1. art. 2.

habeat ex morali aestimatione offerentis & oblationis, concedo Maiorem: tunc enim satisficit ad aequalitatem. si vero illa tanta bonitas sit praecise physica & independens ab aestimatione morali: nego Maiorem. tunc enim non fit satis, vt dixi a §. 14. Distinguo item Minorem: auctus charitatis est tam bonus quam malum peccatum ex aestimatione morali, nego Minorem: ex physica entitate independentem a moralitate, praetereo Minorem, & nego consequentiam.

§. 19. Vt autem constet non semper satisfieri reddendo aequale bonum ac fuerat malum: considera peccatum furti decem aureorum, non fit satis quocumque actu reddantur totidem aurei. Quod quidem eleganter dixit B. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 11. Neque, inquit, sufficit solummodo reddere quod ablatum est, sed pro contumelia illata plus habet reddere quam abstulit. Et infra inquit: Non sufficit honorem reddere, si non secundum exhonorationis factam molestiam aliquid quod placet illi quem exhonoraui, restitueret. Hoc quoque attendendum, quod, cum aliquis quod iniuste abstulit, soluit, hoc debet dare, quod ab illo non posset exigere si alienum non rapuisset. Haec Anselmus: quo in loco & c. 20. plura poteris recognoscere. Cum autem dicimus satisfactionem esse aequalem, semper intelligimus quod hic docuit Anselmus, supputata etiam ratione iniuriae pro qua debet aliquid plus subrogari quam exterius ablatum est.

SECTIO III.

Sententia P. Suarez, & aliorum.

§. 20. P. Suarez disp. 4. sect. 7. concl. 2. quem recentiores secuti, opinatur a nulla pura creatura posse ad aequalitatem compensari Deo illatam iniuriam. Probat, quia grauitas iniuriae crescit ex dignitate personae offensa; satisfactio autem decrescit ex vilitate satisfaciens: ergo quantumque satisfactio praestetur a pura creatura, semper decrescit ex vilitate satisfaciens, & non adaequat grauitatem iniuriae. Patet consequentia, quia illa satisfactio semper est inter personas infinite distantes. Confirmatur Primò, quia iniuria Dei est in altiori ordine quam satisfactio creaturae: ergo quantumcumque satisfactio augeatur, augeatur semper in ordine inferiori, neque attingit ordinem illum iniuriae. Quemadmodum si multiplicentur cognitiones de creaturis sine fine, nulla aequabitur visioni Dei, quia haec est in ordine altiori. Confirmatur Secundò, quia iniuria facta in materia superiori, non compensatur per materiam inferiorem, quantumcumque multiplicetur. Verbi gratia, iniuria in honore non compensatur per pecuniam, neque iniuria in vita compensatur per honorem: quia constituntur in generibus diuersis.

§. 21. Censeo hoc fundamèto sententiam communem non satis fulciri. Primùm, quia negari potest prima consequentia argumenti, è §. 20. Ad probationem responderetur, satisfactionem semper esse inter personas inaequales infinite, quales sunt Deus & creatura: at non propterea satisfactio est inaequalis, quia satisfactio non est ad constituendam aequalitatem inter personam & personam, sed inter iniuriam & obsequium. Quemadmodum restitutio potest esse aequalis inter inaequales perso-

nas: quia est ad constituendam aequalitatem inter acceptum & redditum: item inter plebeium & principem potest esse aequalis satisfactio, manente inaequalitate inter personas. Ratio a priori, quia quamuis personae distent infinite, iniuria tamen est finita parte: finita autem iniuria potest fieri satis.

§. 22. Ad confirmationem ex §. 20. respondeo antecedens esse ambiguum: quid enim est altior ordo? Nam auctus charitatis supernaturalis simul cum gratia sanctificante, item & visio beata videntur esse in ordine altiori: frequenter enim dicuntur esse in ordine diuino: quia gratia sanctificans, est quaedam participatio diuinae naturae. Quod si peccatum est inimicitia cum Deo, charitas & gratia sunt amicitia supernaturalis & adoptio filiorum Dei, quod si peccato debetur aeterna miseria, visio beata est aeterna felicitas: quid igitur illis deest, vt sint in ordine altiori, vel saltem aequali? Deinde, quamuis personae sint in ordinibus diuersis, interquos interijcitur infinita distantia; at inter iniuriam & satisfactionem tanta distantia non reperitur. Et quamvis admittam peccatum esse in specie grauiori, poterit compensari per intensiorem, & alia satisfactionis adiuncta. Probatio de visione Dei non est è re: probat enim iniuriam in Deum esse in supremo genere iniuriarum: id enim probat ea collatio: debet enim conferri iniuria in Deum cum iniuria in creaturas, sicut confertur visio de Deo cum visione de creaturis. Et sicut visio de Deo est suprema inter visiones de creaturis, ita iniuria in Deum est suprema inter iniurias in creaturas: ergo non bene comparatur satisfactio cum iniuria, ex comparatione visionis de Deo cum visione de creaturis.

§. 23. Ad secundam confirmationem ex §. 20. falsum est antecedens: passim enim compensantur iniuriae pecunijs, & nex honoribus & pecunijs. Quia ius ad honorem, & ad vindictam necis aeternae potest aestimari pecunia, & pro ea vendi: soluto autem pretio iam pacto extinguitur totum debitum ex iniuria aut homicidio contractum. Item, qui virginem violat, cogitur aut illam ducere uxorem, aut pecuniam compensare vim illatam. Hinc retorqueo argumentum: In bonis ordinis inferioris potest esse tale augmentum, vt moraliter aequaleat ordini superiori.

§. 24. Eneruauit argumenta: nunc eam sententiam impugno. Primùm, quia inaequalitas orta in peccato ex persona offensa potest bonis actibus ita compensari, vt satisfactio sit aequalis iniuriae. Quia si miles regem offendat, potest tam praclare se postea gerere in bello, vt compenset priorem iniuriam: cum tamen humana aestimatione personae distent tam longo intervallo. Ac ne mihi obijciatur eam distantiam esse accidentariam, argumentor in angelo, qui est substantialiter perfectior homine: homo autem potest angelo satisfacere ad aequalitatem pro iniuria illata: ergo distantia substantialis non obest satisfactioni perfecte.

§. 25. Dices, distantia hominis a Deo esse infinita. Contrà: Illa infinitudo non communicatur iniuriae, quae quamuis inter personas infinite distantes, est finita simpliciter, neque a satisfactione aequali distat infinite, sed finite: ergo quamuis non possit aequari distantia inter satisfactionem & personam, poterit aequari inter iniuriam & satisfactionem. Obiectio quidem esset bona ad probandam infinitu-